

Dissertationem inauguralem de fluxu mensium nimio / ... submittit Daniel Lentsch.

Contributors

Lentsch, Daniel.
Sperling, Paul Gottfried, -1709.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Literis Christiani Gerdesii, [1704]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fe88p9wk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. F.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECT. SAXON. HAEREDE,

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE *Dyspepsia*

**FLVXV MENSIVM
NIMIO,**

PRAESIDE

DN. PAVLO GOTTFR. SPERLING,

Med. Doct. Anatom. atque Botan. Prof. Publ. celeberrimo,
& Principis Servestani Archiatro gravissimo,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
RITE IMPETRANDI,

*PVBlico ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT*

DANIEL LENTSCH,

Havelberga - March.

Ad D. XXIX. Maj. M DCC IV.

Horis ante & post meridiem consuetis.

VITEMBERGÆ, LITERIS CHRISTIANI GERDESII.



PROOEMIUM.



Est ratio et conditio generis humani, ut, simul ac in lucem suscepti sumus, incipiamus mori, et vitae terminus, quem longius proferre interdum cogitamus, ab origine pendeat, ac eam ipsam subinde horam, in qua vivimus, dividere cum morte cogamur. Quotidie enim corpus nostrum, quod fragile et caducum, ac ex ruinosis principiis coagmentatum est, sua capit decrementa, et propter semina morborum, quae in illud sparsa sunt, furtim subruitur, cumque in summo firmitudinis ac valetudinis fastigio positum videatur, in propinquo ruina est, ac praeter spem, et opinionem instar aedificii, cuius suffulcimenta a teredinibus sunt exesa, concidit, ac in nihilum relapsum, in cineres convertitur. Qui quidem morbi cum varii sint, et fere innumerabiles, ac utrumque sexum gravissime infestent et affligant, tum sigillatim elegantiores seu faemineum divexant, et pessime excruciant, ac perniciem saepe, interitumque afferunt. Praeterquam enim quod plerisque morbis,

A 2

qui-

quibus viri laborant, subiiciantur, tamen propter uterum, qui gravissimorum malorum et symptomatum fons et origo existit, plures experiuntur, qui tanta interdum saevitia easdem adoriuntur, ut, cum eorum impetum sustinere nequeant, tum vitam cum morte commutare cogantur. *Multa profecto commiseratione, inquit Helmontius, dignus sexus, in adiutorium magnarum necessitatum nobis datus, et quasi proinde multiplici aerumna dignus. Siquidem semel omnes propemodum morbos patitur ex utero, iterumque quatenus homo, duplices corruptae naturae poenas insons et devotus sexus per misera individua muliebria tolerat. De Asthm. et Tuss. Quod etiam iam suo tempore cognovit Democritus, qui proinde ad Hippocratem scripsit, uterum esse sexcentarum aerumnarum mulieri autorem. Corbeus Gynaec. L. 1. c. 1. Quae quidem res sexus sequioris in peiore statu sunt positae, quod ipsae aliquando nesciunt, se aegrotare, aut propter verecundiam reticent, ac narrare verentur, etiamsi morbum cognitum habeant, sed prae pudore id sibi turpe esse existimant, quo fit, ut morbus ex mora radices agat, ac penitus insideat, sumtoque incremento, corpus primo in languorem det, deinde exhaustis viribus, illud pessumdet atque destruat. Quem pravum et perversum sexus sequioris morem Hippocrates his expresit verbis: Periculosa vero sunt, veluti dictum est, et plerumque acuta et magna, et intellectu difficilia, eo quod mulieres participant morbis, et aliquando neque ipsae sentiunt, quod aegrotant, priusquam morbos experiantur a mensibus, et seniores factae fuerint. Tunc autem et necessitas et tempus ipsas morborum causas docet, et quandoque non cognoscentibus, ex quo morbo aegrotent, morbi incurabiles sunt, antequam doceatur recte medicus*

ab aegrotante, ex quo morbo aegrotet. Verentur enim narrare, etiamsi sciunt, et pro imperitia et ignorantia turpe id sibi esse putant. Sed et medici simul peccant, non exacte causam morbi percunctantes, sed velut viriles morbos sanantes, et multas novi iam ab huiusmodi affectionibus corruptas. Quare statim causam exacte interrogare oportet. Multum enim differt muliebrium morborum ac virilium curatio. L. I. de morb. mulier. Magna autem morborum ex utero nascentium multitudo est, qui, sicut ab aliis atque aliis causis proficiscuntur, ita varias curandi rationes postulant, quibus eorum femina elidi ac penitus extirpari possint. Modo enim passio hysterica affligit, interdum fluor albus, aut mensium suppressio negotium facescit, subinde uterus e sede sua dimotus prolabitur, aut vel inflammatione, vel scyrrho corripitur, non raro haemorrhagia, aut nymphomania, vel alia gravissima mala, quae non recipit enarranda hic scripturae modus, divexant, et perniciem moliuntur. Inter tot vero et tantos morbos, quibus uterus patet, non infrequens est nimia mensium profusio, haud contemnenda subinde incommoda afferens. Nam quemadmodum menses, statim tempore, et in iusta quantitate manantes, multos a sexu hoc avertunt morbos, ita si modum excedunt ac largius profunduntur, gravissimas calamitates important, praecipue vero vires, roburque corporis atterunt, et infringunt, atque cachexiam, foecundissimam morborum matrem, invehunt. Quae nisi statim in principio eradicentur, praesentissimam vitae perniciem, nullis amplius remediis avertebam, pariunt. Cum igitur haec nimia sanguinis profusio periculosus et cum detrimento salutis coniunctus sit affectus, non alienum ab instituto meo labo-

rem me suscepturum esse confido, si illius genuinam naturam et indolem loco Disputationis Inauguralis pro ingenii tenuitate persecutus fuero, et a quibus causis oriatur, quibusve remediis sistatur, et sanetur, enarravero. Deus autem immortalis meo adspiret labori, ac vi numineque suo efficiat, ut omnia bene feliciterque eveniant!

Th. I.

ATque ut inde sese efferat Dissertatio, ante omnia de utero, tanquam parte affecta, pauca exponam, qui in abdomine, ac figillatim in pelvi, sedem suam inter intestinum rectum et vesicam nactus est, cuius fibrae eleganti artificii genere fabrefactae, musculosam spongiosamque suam substantiam perreptant, quas miravatorum sanguineorum copia comitatur, ut non tantum foetus foveatur, et nutriatur, sed etiam humorum redundantia, si mole sua noceret, expurgari queat. Hunc in finem furculi arteriarum, ex hypogastricis et spermaticis nascentium, et varios inter se cincinnos nexusque efficientium, uterum perambulant, ac humoribus irrigant. Quibus semet venae comites addunt, quae cum arteriis eleganti spectaculo irretiuntur et consociantur. Ductus autem sanguinei, per cervicem vaginamque uteri disseminati, hypogastricarum et haemorrhoidalium propagines sunt, qui in superiore parte cum uteri vasis coeunt, et innectuntur, et inter sese plures sinulos efformant, qui suis ramulis inter se implicantur, ac mutuo illigati, in cavitatem uteri hiant. Vaginam autem uteri continuo serosi humores et pituitosi, e glandulis et meatibus, inibi effictis, manantes irrigant, ut illa semper lubrica sit, et facilius reliquis humi-

humiditatibus excrementitiis viam patefaciat. Atque haec vasa, vaginam perreptantia, sunt scaturigo, ex qua statis temporibus sanguis fluere solet, quae, si vel praeter naturam occludantur, vel aperiantur, hic fluxus nunc penitus exarescit, nunc exundat, utroque autem modo corpus labefactat, et valetudinem evertit.

Th. II.

Bene autem res mulierum geruntur, si statis periodis catamenia fluunt, quia sanguis, in corpore redundans, hac profusione minuitur, et circulatio humorum, quae vitam et valetudinem tuetur, conservatur, ut cum mens, tum machina corporea suis praesese muneribus recte possit. *Mulier enim sana, inquit Hippocrates, ex mensibus est iudicanda. L.I. de morb. mul.* Vigente enim et recte eunte hac repurgatione, multi morbi, a quibus infestari alias elegantior sexus solet, praepediuntur, ac coloris gratia, quam in magna felicitatis parte ponit, integra servatur, ac reliquae corporis functiones omnes sibi constant, et ex praescripto naturae peraguntur. Sin vero contingat, ut haec a natura sancita lataque lex violetur, ita, ut plane menses non fluant, aut, qui manarunt, restitent, et cohibeantur, vel ab indole et genio suo desciscant, quique antea purpurei et rubicundierant, nunc in alios eosque corruptos humores convertantur, perplura malorum genera, quae tam utero ipsi, quam toti machinae corporeae perniciem moliuntur, proveniunt, quae omnia fusius persecutus est Divinus Senex *Libr. de Virgin. morb.*

Th. III.

Tametsi vero multae extiterint mulieres aequae ac virgines, quas haec passio gravissime afflixit, fuerunt tamen

men iterum aliae, quae fluxu mensium nunquam laborarunt, et tamen liberos pepererunt, atque ad summam aetatem pervenerunt. Ita enim *Fabric. Hild. Cent. IV. obs. 41.* commemorat matronam, cui nunquam menses fluxerunt, tam durante virginitate, quam etiam in ipso matrimonio, in quo septem liberos feliciter peperit. In puerperio quoque lochia exigua habuit, et parum obnoxia morbis fuit. Ac *Rondeletius* refert, mulierem quandam nunquam menstrua esse passam, et tamen duodecies peperisse, *Metb. curandi morb. c. 44.* Qualia etiam exempla apud *Marcell. Donat. L. IV. c. 23. Bartholin. Cent. IV. hist. 37. Sebizium Med. pract. Part. V. S. 2. c. 1.* et alios relata legimus. E contrario repertae sunt aliae, quae usque ad ultimam senectutem hoc fluxu laborarunt. Certe mirandum est, quod *Hercules Saxonia Pract. Med. L. IV. c. 23.* refert, virginem quandam vestalem ad tertium et centesimum annum cum menstrua purgatione vixisse. Et *Solenander* feminarum quarundam meminit, quae usque ad annum septuagesimum, septuagesimum sextum, et centesimum primum magno cum sanitatis commodo mensium fluxum habuerunt. *Secl. V. Conf. med. 41. 42. 43. Conf. etiam Timaeus a Guldenslee / L. IV. Cas. med. 14. Fabric. Cent. IV. Hist. 6. et Cent. II. obs. 61. Bartholin. Cent. II. epist. med. 86.* Atque hae purgationes menstruae fraudi valetudini non fuerunt, sed mulieres optime sanas conservarunt. Catamenia autem nimia quantitate fluentia vires diminuant, et corpoream machinam labefaciunt, ac vitam cum morte repente saepe commutarunt, qualia exempla apud *Tulpium, Fernelium, Montanum, Riverium, Rodericum a Castro*, et plures alios posteritati sunt relictæ.

Th. IV.

Cum autem omnis, quae suscipitur ab aliqua re institutio, debeat a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit, de quo disputetur, vocamus nimium mensium fluxum sanguinis, quo mulier naturae lege singulis mensibus allevatur, excretionem copiosiore, eamque excedentem quantitatem et copiam, ut inde virium languor ac diminutio nascatur, vividus faciei color, quo sexus sequior admodum delectatur, foedetur, cachexia et plura alia gravissimorum symptomatum genera excitentur. Cum enim vires nostrae in iusta sanguinis quantitate et qualitate consistant, facile intelligi potest, eo bene habente, hominem sanum esse, et cunctas suas actiones recte obire et exequi; eundem vero sanguinem, variis peregrinis particulis, iisque circuitioni humorum reluctantis, infectum et vitiatum, aut inopia peccantem, hominem ad exequenda munia torpidum reddere, ac vires labefactare, et totam demum oeconomiam animale convellere pariter atque evertere.

Th. V.

Hanc vero nimiam sanguinis excretionem facile ab aliis uteri profluviis discernere possumus. Ac primo quidem in fluore albo non sanguis rubicundus et purpureus, sed materia serosa, plus minus interdum pituitosa, vel cremori, aut sero lactis similis, subinde etiam citrina, ac livida, interdum quoque acris et mordax emanat, quae cum foetore suo non raro molesta est, tum vitales corporis succos exhaurit, et saepe ante itemque post mensium eruptionem affligere solet.

B

Conf.

Conf. Montanus de Affect. uter. et Sylv. Commentar. de mensib. mulier. Multo minus paria facit cum nimio lochiorum fluxu, qui partum laboriosum et difficilem plerumque sequitur, quo post avulsam magna vi uteri placentam sanguis magna copia ex vasis profluit. Nihil etiam commune habet cum haemorrhagia uteri alia, quae vaga plerumque est, et a variis causis, ac quovis tempore accidit, cum haec, de qua hic agimus, excretio statuta sua observet intervalla, ac tunc affligat, cum menses consueto more fluere solent.

Th. VI.

Quo vero rectius natura morbi pateat, nostra refert, ut primum ad signa, quae ortum et progressum docent, respiciamus, quo eo melius indolem et causas huius mali abstrusiores rimari possimus. Equidem non inficias iverim, in tam magna causarum dissimilitudine, atque in tam variis corporum constitutionibus, non eadem semper in omnibus signa observari, sed alia in aliis occurrere, et pro natura mulierum et causarum valde discrepare. Fere tamen dum hic fluxus invasit, sanguis primo non adeo in magna copia fertur, sed post diem unum vel alterum augetur, ac quotidie incrementa sumit, et in maiore quantitate profunditur. Interdum vero statim in principio derepente erumpit, magnoque flumine profilit, praesertim si menses intercepti ac suppressi fuere. Tunc grumi excidunt, et dolor clavicularum ac tendinum sentitur, corpusque obtorpet, et debilitas ac perfrigeratio crura invadit. Adhaec, si diutius duret, accedit virium diminutio ac corporis infirmitas, membraque insolito languore afficiuntur, ac expallescere
vividi

vividi flos coloris sensim incipit. Haec plerumque sequitur capitis dolor, cum vertigine subinde conjunctus, et appetitus magis magisque prostermitur, ac cibi nauseam pariunt, sitis vero affligit, potusque affatim cum multa refectionis opinione expetitur. In gravescente malo, gratia coloris, quae antea florida erat, magis corrumpitur, faciesque fit foeda et lurida, corpus vero, quod antea vegetum et succi plenum erat, fatiscit, et extenuatur, interdum quoque horrore perfunditur, ut impetum febris timeant sic habentes, difficulterque incedant, et acclivi locorum ascensu laedantur, atque multa segnitie corporis afficiantur. Praeterea dolor lumbos divexat, et regioni inguinali vicinisque partibus gravis est, et pro varietate causarum saepius varius existit, ac magis vel minus lacescit, interdum vero remittit, et quasi quasdam inducias paciscitur. Quod si diutius malum perseveret, pedes subinde intumescunt, ac tumoribus oedematosis foedantur, venae vero, retro sublapsis oculis, livescunt, corpusque colorem plumbeum, flavum atque subviridem induit. Quo vero longius fluxus protrahitur, ac copiosius manat, hoc magis deficit corpus, ac pulsus diminuitur, itaque nonnunquam obscurus redditur, ut vix percipiatur, et ruentibus semper in deteriora viribus, animi deliquia accedunt: tuncque nervorum, ut ait *Hippocrates*, antrorsum retrorsumque distentiones fieri, et aliis interdum symptomatis correptae ita laborantes obire tandem solent. *L. II. de morb. mul.*

Th. VII.

Veruntamen non tam acriter et vehementer semper haec affectio discruciat, nec tantam symptomat-

tum multitudinem habet, sed mitior subinde redditur, et quasi confopitur, atque intervalla simulato quodam otio dispungit, et spatium quoddam ad reficiendas ac reparandas vires concedit. Quo rerum statu quum salutis securae sunt mulieres, nihilque mali sibi timent, ac periculum effugisse existimant, subito interdum revertitur, dumque vires ex mora collegit, impetuosius invadit, ac præter spem et expectationem perniciem interitumque affert.

Th. IIX.

Ex his hæcenus eam in sententiam commemoratis, arbitror, patebit, partem affectam huius fluxionis modum excedentis, esse uterum, eiusque imprimis vasa, vaginam perreptantia, utut *Massarias* illum in eiusmodi fluxibus ab omni culpa vindicare ex *Galeno et Donato ab Altomari* contendat, *L. I. Praelect. pract. c. 4.* Per horum enim vasorum poros et meatus sanguis menstruus naturalis profunditur, et excernitur, quamvis nonnulli tam veterum, quam recentiorum, aliter sentiant, qui fontem et scaturiginem huius fluxionis ex ipso uteri fundo arcessere conantur. Vid. *Batton. de morb. mul. c. 57.* et *Roechus de morb. mul. curand. c. 4.* Sed invita ratione, et experientia. Nam ex incisionibus corporum, hac passione extinctorum, compertum est, fundum uteri nulla sanguinis labe aspersum fuisse, vaginam vero totam subinde cruentam, et vasa penitus vacua et exinanita apparuisse. Quod etiam ipsa uteri ac eius vaginae structura, quam supra descripsimus, confirmare potest. Nam in puellis et virginibus orificium uteri saepe arctissime clausum est, ut ne tenuissimum admittat stylum, adeo ut per hoc sanguinem

nem commode ferri posse minus probabile videatur. In vagina autem facile id fieri potest, quia via patentior est, magis etiam vasa prominent, sique sanguis ex illis manaverit, sine ullo impedimento excerni sensum paulatimque potest.

Th. IX.

Hanc autem nimiam sanguinis profusionem praeternaturalis dictorum vasorum apertio efficit, quatenus ista vel rumpuntur, vel eroduntur, aut alio modo ita patefiunt, ut liberius sanguis, pulsu cordis per arterias adductus, excernatur. In statu enim hominis sano et integro sanguis cum reliquis humoribus continuo conversum in orbem cursum suum peragit, finesque suos non egreditur, sed qui per arterias ad corporis partes corrivatus est, ille iterum per venas ad fontem suum, seu cor relabitur. Quando vero terminos suos mutat, quocunque in corporis etiam loco id fiat, tunc varios morbos producit, qui tanta interdum saevitia grassantur, ut subitam mortem importent, quemadmodum id ex hac fluxione, tum quoque ex haemoptysi, vomitu cruento, et aliis haemorrhagiis immodicis intelligi potest.

Th. X.

Aperiuntur autem vasa, per vaginam uteri disseminata, vel culpa sanguinis, vel vitio ipsorummet ductuum atque vasorum. Ac sanguis quidem praeternaturam vasa recludit, ubi redundantia affluit, eaque propter immodicam aggestorum humorum copiam ita replet ac distendit, ut relaxatis, ac de vi et robore suo deiectis villis, quibus firman-
B 3

bus

bus aditum patefaciant, et fluere illos, qua data via, sinant. Quod eo facilius contingere videas, quo vehementius sanguis exagitur, et maiori cum impetu per vasa ruit, aut in iisdem cum aliis corpusculis digladiatur, et quasi seditionem concitat. Hoc enim statu mirandum non est, si vasa, vel praeter modum aperiat, vel penitus eadem disiiciat, ac disrumpat, et refractis vasorum repagulis, facto quasi agmine, profiliat et profundatur. Praesertim si variis sanguis, iisque acidis, acribus, mordacibus, aliisque facultatibus gaudentibus corpusculis, inquinatus est, quae suis spiculis cuneolorum et gladiolorum instar vasa discindunt et quasi perterebrant, itaque relaxant, ut reperta semel via, difficulter illam obstruas, ac dilatatos erososque meatus coarctes, aut debilitatas fibras et tunicas emendes, ad indolemque et firmitudinem naturalem reducas. Vt enim sanguis ingressum iter recte emetiatur, non vasa tantum pateant, sed etiam tonus ac robur fibrarum ac tunicarum sibi constet, necesse est; quod ubi secus fit, et vel ab affluente propter plenitudinem in vasis vaginae sanguine, vel propter motum orgasmicum, et acrimoniam mordacem, vasa dilacerantur, nulla intermissione facta, sanguis manare solet.

Th. XI.

Culpa vero vasorum, vaginam uteri obambulantium, idem contrahitur fluxus, quando illorum fibrae et tunicae, a robore et firmitudine deiectae, aut aliis modis enervatae, plus iusto relaxantur ac dilatantur, et ampliores meatus, quos antea non habuerunt, adipiscuntur, unde sanguinem, quem amplius retinere nequeunt, dimittunt, et profluere, qua facta via, sinunt.

Idem

Idem sentias de aliis organicis vitiis, five inde a primo ortu ea his vasis obtigerit conformatio, ut vel nimis ampla laxaque sint, vel ab aliis perpesfis iniuriis, ictibus, contusionibus et plagis contracta fuerit. Neque etiam culpa vacant partus difficilis, et abortus, quibus non raro nimius mensium fluor est excitatus. De abortu exempla commemorat *Iulius Caesar Claudinus Conf. 93.* Secundinas imprudenter avulsas et manu illatas viis uteri iniurias idem secutus est fluxus. Ita enim *Montanus*: Nam quodocunque obstetrices ineptae, cum tractant partes illas, dilacerant eas manibus; sicut ego cognovi nobilissimam et pulcherrimam Venetam, cui inepta ac imprudens obstetrix partem pudendi avulsit, credens se extrahere foetum, unde magnus sanguinis fluxus excitatus est. De affect. uter. facilius quoque hac passione implicantur mulieres, quae saepius pepererunt, sunt enim magis obnoxiae his fluxibus praeter naturam, quam illae, quae nunquam pepererunt, et adhuc magis, quam illae, quae nunquam concubuerunt cum viro, quales sunt puellae et virgines. *Montanus l. c.* Neque tamen huius fluxus causam omnem semper in utero quaerere debemus, cum quandoque alia viscera in culpa esse possint, quemadmodum recte animadvertit *Fernelius*, qui graviter illos hallucinari, ait, qui omnium ex utero prodeuntium, sicut et omnis suppressionis mensium causam in uno requirunt utero. Etenim quibus mulieribus viscera refrigerata, vel obstructa, vel scyrrho dura, malum habitum aut leucophlegmatiam invexerunt, corruptus humor in varias partes effusus, saepe in uterum procumbit, et illac decurrens, corpus expurgat, quod aliis quibusdam per renes, aut per alvum fieri contingit. *L. IV. de part. morb. et Sympt. c. 16.* Ita etiam a balneis, fotibus acribus et calidioribus, et aliis eiusmodi

di rebus, muliebribus immisfis, vel admotis, non raro nimius mensium fluor excitatur, quibus quippe pori vasorum cum relaxantur, tum quoque eroduntur et aperiuntur, ut facile deinde eiusmodi sanguinis profluvium nascatur.

Th. XII.

Atque hanc immodicam sanguinis profusionem rectius adhuc cognoscemus, si aliarum quoque causarum evidentium et procatarepticarum rationem habuerimus, quarum vis et opera in hoc gignendo malo permagna esse solet, dum aliae sanguinis integritatem polluant, aut eundem in orgasmum cient, aliae temperiem ac conformationem uteri ac vasorum laedunt et pervertunt, adeoque hanc calamitatem important. Inter illas primo loco aërem merito nominamus, qui quippe praeter caeteras, quas infert, noxas, cursum sanguinis graviter immutare solet, praesertim si calidior fuerit, et magno nisu ac impetu in corpus irruerit, intimosque machinae recessus pervaserit. Hic enim valetudini fraudi est, et vitali humorum circuitioni vim infert, sanguinemque exagitat, et in motum vehementiorem abripit, atque viam ad hunc fluorem sternit. Quod etiam sensisse *Montanum* memini, qui cum de constituenda victus ratione ad faeminam nobilissimam scripsisset, tandem de aëre praecipit calidiore, ut illum evitet, neque incaute semet eidem exponat, ne malum in deterius relabatur. *De affect. mul. Conf. VI.*

Th. XIII.

Non minores quoque poenas illae luunt, quae neglecta victus ratione varia ciborum, et eorum praesertim

tim calidiorum, et croco, cinamomo atque aliis aromatibus conditorum ingluvie corpus obruunt, et fucis fervidioribus, atque ad motum orgasticum pronis inficiunt, qui facile hunc fluxum producere possunt. Quibus merito addas varia, eaque pariter calida et generosa potulentorum genera, praesertim in magna copia hausta, quibus non solum febres et inflammationes, sed etiam immodicas sanguinis profusiones excitas esse, experientia compertum atque comprobatum est. A medicamentis catharteticis, minus ex praescripto artis sumtis, cum fluorem album, tum hunc fluxum observavit *Platerus de aquos. excret. c. 6.* Quod adhuc magis de emmenagogis dicendum est. Idemque etiam de thermis, ultra modum adhibitis, confirmat *Sennertus Prax. L. IV. part. II. S. II. c. 12.* in faeminis, quae pariter sibi hoc malum non ob contagium quoddam, quia cum aliis, quae eo laborabant, in eodem balneo sederunt, sed usu harum continuato contraxerunt, quatenus sanguis tenuior redditus et incitatus, copiosius per vias has, laxiores redditas, egressus est.

Th. XIV.

Non aliam etiam ob causam motus corporis vehementior ac diuturnior est damnandus, quam quod partes sanguinis agiles et elasticas valde concitat, quae huc illuc latae, secum reliquas rapiunt, et motum praeternaturalem in tota humorum massa efficiunt. Contra vero idem in malum incurrunt, quae nimio otio et ignavia oblangvent et obtorpent, quibus quippe excrementa, per emunctoria cutis expellenda, intus retinentur; quibus accumulatis, et acrioribus redditis,

C

vasa

vasa eroduntur et dilacerantur, praesertim in illis, quarum sanguis plurimis acribus et exedentibus, aliisque mordacibus humoribus affluit, a quibus non raro periculossimae haemorrhagiae sunt productae. Non omnino quoque culpa vacant somnus et vigiliae, quia hae, in multam protractae noctem, corpus enervant, et sanguinem nimium exagitant; ille vero pariter fordes in corpore per transpirationem diffundas, accumulatur, et pravis qualitatibus sanguinem inquinat.

Th. XV.

Denique magna quoque vis, magnumque momentum situm est in affectibus et pathematis animi, quibus sexus sequior maxime est expositus, ac modo iracundia, modo timore praeter opinionem corripitur, modo in alias mentis perturbationes, non raro in totam redundantem machinam, eamque pervertentes incidit, quibus facile haec fluxio generari potest. Nam si a moerore, et incusso ex improvviso terrore, quaedam fluorem album sibi contraxerunt, ut *Mercurialis Tom. III. Conf. 117.* et *Everhardus Gokelius Observ. med. Decad. IV. Observ. V.* testantur, facilius id evenire potest in hoc malo, ad quod efficiendum multum ponderis animi pathemata habent, praesertimque ira, qua tota oeconomia valde alteratur, et humores, qui antea sedato nisu per corpus ferebantur, nunc citatius moventur, et inter se colluctando, vehementius nituntur in vasa, ac facile eadem disiciunt, et in maiore copia cum virium et valetudinis damno profunduntur. Vt de evacuationibus naturalibus nihil commemorem, quae etiam non penitus omni culpa vacant, ac subinde etiam symbolam
suam

suam ad excitandam hanc fluxionem conferre solent. Conferantur hanc in rem *Ludovicus Mercatus de comm. mul. affect. c. 15.* et *Forestus L. XXVIII. obs. 20.*

Th. XVI.

His probe expensis, quivis facile intelliget, causas, quas hactenus commemoravimus, omnes eo spectare, ut cum sanguinem in motum orgasmicum cieant, tum vaginae uteri vasa laedant et labefaciant, ac huic fluxui aditum patefaciant. Ex his etiam omnia, quae supra exposuimus, symptomata facile explicari possunt. Ac sanguinis quidem fluxum in principio adhuc moderatum sentiunt sic afflictae mulieres, quia pori nondum adeo patuli sunt, et particulae acres et orgasmicae quodammodo aliis innexae et illigatae sunt, ut tam libere huc illuc evagari non possint, quae tamen tractu temporis magis semet e compedibus aliarum expediunt, et maiorem libertatem affectant, adeoque sanguinem vehementius exagitant. Percipiunt autem imbecillitatem, ac membrorum langvorem, et vividi coloris iacturam faciunt, quia tales humores, quae corpori robur et firmitudinem inspirant, copiosius excernuntur, hinc sanguis depauperatur, minusque ad nutriendum corpus aptus evadit, ac liquor nerveus hebetior redditur, membraque effoeta, ac elasticis succis non perfusa, aegre munia sua obeunt. Affligit dolor capitis et vertigo, quoniam flore sanguinis deperdito, reliqua massa minus expedite iter suum per vasa cerebri capillaria perficit, sed in iisdem haeret, et pondere suo ac acrimonia motuque inconvenienti molesta est, variasque dolorum species pro particularum suarum varietate parit. Idem sanguis nimia eiusmodi

profusione effoetus redditus, appetitum labefactat. Lympha enim gastrica, quae ad ventriculum derivatur, iners, et ad pariendas capiendi cibos illecebras, eosque conficiendos nulli usui est. Propter eandem autem immodicam excretionem sitis urget, quatenus partes serosae deficiunt, et calidae falsaeque redundant, quae stimulando fauces sensum sitis excitant. Potissimum autem dolor in lumbis ac finitimis partibus infestat, tum propter anfractuosos implexosque ductus, per quos fertur sanguis, tum quia particulae vellicantes et lancinantes imperium tenent, et stimulando partes nerveas tristem eiusmodi sensationem efficiunt. Interdum etiam livescunt oculi, et totus corporis habitus vitiatur, quia propter perditas partes spirituosas et tenues, crassiores restitant, et ob varia alia admixta corpuscula, alium atque alium corpori colorem conciliant. In malo pertinaciore tumores oedematosi in pedibus apparent, quoniam sanguis, ignavo motu cursum suum peragens, tarde per venas vasaque lymphatica relabitur, cuius particulae viscidae, valvulis adhaerentes, istas distendunt, et nova semper accessione locupletatae, aut plane extra vasa mistae, partes in tumores elevant. Enumerata autem huius generis, et plura accidentia alia magis exasperantur, si diutius malum perseveraverit, et maior sanguinis profusio facta fuerit: tunc enim qui adhuc superstites sunt, humores in peius degenerant, et alias easque conservandae vitae penitus inimicas facultates contrahunt, ac plane a natura sua desciscunt. Hinc summa totius corporis cachexia et squalor, hinc macies cum aliis truculentis symptomatibus ortum ducunt, in quibus amplius exponendis operam ponere nec vacat, nec lubet, quia ex causae peccantis genio, et sanguinis habi-

habitudine, et vasorum dispositione et laesione explicari facile atque intelligi possunt.

Th. XVII.

Nec vero necesse est, ut signa Diagnostica, quae supra in historia morbi commemoravimus, repetamus. Illud tamen hic praetermittendum non est, hoc profluvium aliquando criticum esse, quod quidem a symptomatico facile discernitur. Nam criticum ex virium tolerantia, et illorum, quae adduximus, symptomatum absentia patet, idque nulla ex parte medicis praesidiis impediri debet, iuxta vulgatissimam divini Senis sententiam *S. I. Aph. 20.* *Quae iudicantur et iudicata sunt integre, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando; sed sinere oportet.* Alioquin enim gravia supervenire possunt symptomata, si fluxus intempestive sistatur. Satis itaque erit tunc temporis vires conservare congruis alimentis, et sanguinis motum ita temperare, ne concitatus fluat, et maiori egrediatur copia, quam conveniat. E contrario ex virium imbecillitate, morbisque et symptomatibus supervenientibus supra relatis constabit, excretionem illam sanguinis symptomaticam esse, de cuius essentia, causis et signis diagnosticis satis pro instituti ratione dixisse videmur.

Th. XIX.

Nunc ad signa Prognostica, affectus eventum manifestantia, progredimur. Patet autem ex iis, quae hucusque in medium sunt adducta, affectum hunc gravem, ac molestiarum plenum, et periculosum esse, si

praesertim adultiores mulieres corripiat, altasque egerit radices et inveteraverit. Nec enim raro omnem respuit medicinam, et cum decursu vitae spatium finitur, uti testatur experientia, et scriptum reliquit *Hippocrates L. II. de morb. mul.* Praeterea si fluxus copiosior fuerit, si febrim post se trahat, si cum vehementia fiat, ut medicamentis levare nequeat, viresque quotidie magis ac magis enervet, aegra in magno vitae discrimine versatur. Nam *menstruis immodice fluentibus, morbi eveniunt: non autem fluentibus, ex utero accidunt morbi*, inquit laudatus saepe *Cous S. V. Aphor. 57.* Quo ipso malitiam fluoris muliebris ostendit per collationem mensium immodice fluentium, et suppressorum: significans, utrinque periculum esse, siue sanguis large fluat per muliebria, siue supprimatur prorsus. Illis quippe immodice fluentibus, vires totius exhauriuntur, et organa vitalia, sanguine destituta, sua munera perficere nequeunt: Hinc vero appetitus deiectus, laesa chyli et sanguinis generatio, cachexia, tabes, hydrops, syncope, convulsiones et similia, quae mortem portendere solent. Sicuti experientia edoctus *Hippocrates* confirmat *S. V. Aph. 56.* *In fluore muliebri si convulsio, aut animi defectus superveniat, calamitosum.* Interdum quoque sterilitatem et abortum efficit. Sed fluxus moderatus, et per intervalla contingens, nec tam saevis stipatus symptomatibus, spem salutis habet, si praesertim vetustate caret, et laborantes in flore aetatis constitutae sunt, nec tam magnam virium imbecillitatem sentiunt, & sanguis pravis et corruptis ac mordacibus succis immunis et liber est: tunc enim plerumque facile curantur.

Tb. XIX.

Tandem superest, ut de Curatione quoque agam, quae secundum causas instituenda est. In hac medicus omnem impendere debet operam, ut principiis obstet, fluxumque compescat ante, quam radices agat, aut quam primum ille se prodere coepit. Nam ubi morbus inveteravit, vix remediis locus relinquitur, aut minus saltem salutariter adhibentur, quae antea magnum emolumentum afferre poterant. Quae etiam causa esse videtur, quamobrem multae faeminae, ac sigillatim virgines pudicae, gravissima sibi arcessant symptomata, quod tardius, nec nisi adulto morbo, et ubi magna sanguinis profusio facta est, remedia demum, eaque saepius minus idonea, adhibentur. Quapropter primo statim tempore anniti debet medicus, ut fluxus, quantum fieri possit, sedetur, et vasa praeter naturam hiantia occludantur, et si de robore suo deiecta fuerint, illud redintegretur. Proinde, si sanguis copia, vel orgasmo et impetu peccet, statim incidatur vena in cubito, et sanguis mittatur, quousque satis visum fuerit. Nam nullo alio remedio efficacius impetus sanguinis reprimi, et copia minui potest. Neque contemnendae sunt, quas tantopere commendat *Aetius*, cucurbitulae scarificatae, affigendae scapulis, dorso et humeris. Imo vero et cucurbitula magna sine scarificatione cum multa flamma infra mammas applicari potest, ut voluit *Hippocrates S. V. Aph. 50.* *Si mulieri immoderatus fluentia menstrua vis cohibere, quam maximam cucurbitulam ad mammas defigito.* A multis etiam adhibentur ligaturae in partibus tam superioribus, brachiis nempe et cruribus, ex consilio *Galen*, *I. de*

de Arte curat. ad Glauco. 14. quam inferioribus, nimirum coxis, secundum Hippocratem 2. de morb. mul. cui Aetius, Paulus et Avicenna subscribunt.

Th. XX.

Facta, vel omissa, pro ratione virium et causarum, venae sectione, alia in usum vocanda sunt, quae orgasmum et rarefactionem atque impetum sanguinis temperare possint, inter quae acida, nitrosa, terrea, saturnina, martialia, ac glutinosa, ipsaque anodyna excellent, ex quibus varii generis remedia solent confici. Atque ex eorundem censu remediorum etiam petenda sunt, quae sanguinis acrimoniam et tenuitatem, sicubi ea adsit, corrigant.

Th. XXI.

Ex melioribus usuque probatis sunt: Succi et syrapi acidi granatorum et myrtillorum, tincturae acidulae rosarum, violarum, bellidis, papaveris rh. spiritus sulphuris et vitrioli, tincturae florum balaustiorum, catechu, lap. haematit. sulphuris vitrioli, antiphthifica *Grammanni*, essentia traumatica *Michaelis* et *Hagendornii*, succus plantaginis, millefolii, acaciae, hypocystidis, sanguis dracon. sem. sumach, papaveris albi, plantag. 4. fr. mai. rad. symphyti, bistortae, tormentillae, et harum extracta, cort. granat. gummi Arab. tragac. colophon. olibanum, mastiche, terra sigillata, bolus Armen. corallia, terra vitrioli dulcis, lapis haematites, crocus martis adstringens, saccharum saturni, alumen martiale, sal prunellae, arcanum duplicatum, sperniola et pulvis stypticus *Crollii*, pulvis stegnoticus *Guttmanni*, species diatragacant. fr. species diplantaginis et diafucini

cini *Mynsichti*, trochisci de terra sigill. de carabe, et similia; quorum, uti varia est indoles et operatio: ita pro causarum et circumstantiarum varietate, varia eligenda sunt, iisdemque pro morborum atque symptomatum concursu vario, varia alia, v. g. nunc anodyna, modo blande dissolventia, modo alia, admiscenda.

Th. XXII.

Non solum vero adducta modo remedia vitia sanguinis et humorum corrigent, sed patentiores etiam vias ac ductus contrahent atque obstruent, si in quovis casu convenientia eligantur. Neque enim iis promiscue uti, sed delectum eorum habere debemus, ne fortioribus, et minus idoneis alia mala invehamus, aut adhibitis frustra mitioribus, fluxio invaleseat, et ex mora vires sumat, ut deinde vel nullam vel difficiliorem curationem admittat. Adhaec mature haec medicamenta, et usu non interrupto, adhibere debemus, dum morbus adhuc recens est, qui alioquin, altis defixis radicibus, facile omnem medici operam superat, et in gravissima mala, ipsamque mortem, aegrotantem abripit.

Th. XXIII.

E contrario plerumque facile et feliciter curatio absolvitur, si medicamenta recte, quemadmodum diximus, usurpentur. *Hollerius Comment. ad aph. 50. Sect. V. Hippocr.* se multas vidisse mulieres, dicit, quae, solum detracto e vena sanguine, convaluerint, cum nullis aliis remediis potuisset compesci fluxio sanguinis. *Solenander Sect. V. consil. 8.* flores nucum, quando ma-
D
turi

turi sunt, et cadere incipiunt, commendat, dosi drachmae unius, ieiuno stomacho per plures dies capiendos. Idem laudat pulveris colophoniae drachmam, quater aut pluries cum haustu succi plantaginis sumendam, ut et aquam plantaginis, in qua lotus sit lapis haematit. usque ad rubedinem. Alii magnificiunt pulverem dentis equi marini, vel corticum ovi, aut osium microcosmi ad drachmam quotidie per plures dies sumendum. *Paschalius* vero laudat pulverem ex cort. ovar. thur. mastich. corall. r. succin. lap. haematit. smaragd. farin. hord. album. ovar. duorum, ex quo duas conficit placentas, quae coquuntur, ut possint in pulverem redigi, cuius dosin drachmae semis ad unam in iusculo vervecis mane propinat, et aliquandiu continuat. *Forestus in Schol. XXVIII. ad obs. 18.* scribit, se saepius exhibendo 3. cochl. aquae plantaginis cum totidem cochl. vini rubri adstringentis, ac vitello unius ovi, multas sanasse. Idem ex *Helidao* commendat pulverem et oleum ex thure et mastiche. *Guarinerius* feliciter usus est drachma pulveris stercoreis caprarum cum aqua pluviali per aliquot dies; laudatque etiam succum stercoreis asinini, recens excreti, cum aqua plantag. et syr. myrtino. Alii alia magni aestimant, quemadmodum ex *Montano, Mercato, Mercuriali, Ionsonio, Sennerto, Platero* et aliis constare potest.

Th. XXIV.

Atque haec praecipua et selectiora sunt remedia, quae rite usurpata rarius fallunt, si praesertim eisdem externa et Topica, eaque convenientia, iungantur, Quem in finem laudantur empl. de mastiche et contra ruptu-

rupturam *Vigonis*, quibus varii generis adstringentia pro morbi et causarum ratione, adjici possunt. Inprimis autem elegans est empl. a *Zacuto Lusitano L. IX. cap. II. Prax. histor.* descriptum. *Solenandro* familiare fuit cataplasma ex pulv. gypsi, gumm. Arab. torrefacto, album. ovor. cum placentulis hyssopi, umbilico et partibus adjacentibus applicatum. *Hoc, inquit, fluxum intra unum diem sistit.* Plura habent *Platerus*, *Paraeus*, *Victor Trincavellius*, et alii, ad quos hujus rei cupidos remittimus. Quibusdam fomenta placent ex malicorio, gallis, fl. balaust. sem. sumach, prunis sylvestr. et similibus, coctis in aqua chalyb. et vino austero, vel aceto. Imponunt etiam pubi sterqus suillum, aceto rosaceo madidum. His si nihil proficias, a multis pessaria in usum vocari solent, quae in vaginam uteri intrusa, hunc fluxum sedant, et laxa vasorum orificia adstringunt atque claudunt. *Riverius* illa ex terebinthina ac theriaca, aut fol. mercurial. contusis, et panno lineo raro involutis, conficit, et longo usu experta, magnopere celebrat. Alii eadem ex alumine, spodio, bolo Armen. farina volat. et cornu cervi usto, cum albuminibus ovorum, et succo portulacae conficiunt. Sunt denique, qui etiam clysteres uterinos ex succis, decoctis, oleisque adstringentibus parant, quibus tamen aequae ac pessariis non sine cautione utendum est.

Th. XXV.

De constituenda victus et vitae ratione non est, ut multa praecipiam, cum quivis facile intelligere possit, eam medicamentis haecenus propositis respondere debere. Aer igitur temperatus, et quandoque nonni-

hil ad frigidum et siccum vergens eligendus est. Ci-
bus pariter sit temperans, et emplastica ac constricto-
ria virtute praeditus, qui fructibus acidis, et plantagine,
acetosa, portulaca, scariola, et eius generis herbis aliis
condiendus. Inprimis etiam conveniunt extrema-
tes animalium, et quae ex oriza, farre, et farina amyli
fiunt fercula. Potus sit cerevisia tenuis, imbuta tin-
cturis rosarum, violarum vel papaveris rhaeados aci-
dulis. Quibusdam arridet aqua chalybeata, vel stilla-
titia polygoni, aut acetosae, cui succus granatorum
permisceri potest. De caetero fugiant aegrotantes
aromata, flatulenta et fructus horarios. Caveant et-
iam graviora animi pathemata, ac praecipue iram,
quae quippe ut in aliis morbis, ita in hoc inprimis ma-
lo multum nocere solent. E contrario operam dent
quieti et somno, qui, si quicquam aliud, perditas vires
egregie instaurat, et curationi hujus fluxus apprime
conducit. Haec si recte observentur, dubium non est,
quin fluxio etiam gravior compesci, et valetudo instau-
rari, ac in plures annos protrahi per Dei
gratiam possit.

